



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum  
Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

6 De his quæ post mortem accidunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](#)

INSTITUTIONVM LIB. III. 177  
vel ex bonis operibus, quæ fortè ediderunt,  
concepta: alios infidelitate perdit mille arti-  
fex, cùm scrupulos, & dubitationē, de iis, quæ  
religio Christiana credenda proponit, iniicit:  
alios spe cōualescēdi: alios aliis rationib⁹, pro-  
ut negotiū facilius à se confici posse, dīp̄icit.

CAPVT VI.  
DE HIS QVAE POST  
*mortem accidunt*

QVAE accident corpori post discessum  
animæ, palā sunt ante omniū oculos;  
iacet cadauer inanime, sine sensu, de-  
forme, horribileq. aspectu; conditum in terra,  
paulatim fætore vermisque dissoluitur, &  
post dies nō ita multos, in cineres redactū, ni-  
hil præter ossa restat, quæ si videoas, quis qua-  
lisq. fuerit, diues an pauper, nobilis an rusti-  
cus, rex an opilio, non agnoscas.

De anima quid agatur, nihil certi habemus,  
quædā tamen generatim, vel naturali lumine,  
vel fide nouimus, quæ possunt homini terrenis  
rebus immerso maximo esse terrori. Primo,  
scimus animā vna cū corpore non extingui,  
sed eandē illam animā corpore solutam viue-  
re, intelligere, cognoscere, quæ paulò antè ad-  
miniculo sensuū res cognoscebat. Non enim  
est alia anima extra corpus, & alia in corpore,  
sed alio modo. Secundo, hanc animā quæ pau-  
lò antè multitudine ministrorū, & amicorum  
stipata fuerat, nūc proficiisci solā in regionem  
ignotā, vbi aliæ sunt leges, alij ciues, alij mo-

M res,

res, alia iudicia & cogitationes, alia rerū aestimatio; vbi nihil est aurum, facieiæ non oblectant, vbi doctrina humana est ignoratiæ, corporum pulchritudo est deformitas, ociosum verbū graue malum, vbi parentes non mouentur cōmiseratione filiorum, neq. filios nisi secundū Deum agnoscent, vbi occurunt teterima monstra, vbi dæmones ipsi forma specieq. sua clarè conspiciuntur. Pone tibi ob oculos amplissimā sub terra specum, horridam tenebris, spectris terribilem, plenam fœdis serpentibus, & te solū, comitante nemine, in eam deturbandū: præstolatur miseræ animæ egredium dæmones, instar felis, quæ musculi foramen obseruat, ut deuoret. Tertiō, bonis operibus post hanc vitam neminē posse quicquā mereri, neq. quenquam lachrymis, vel angustiis ad misericordiam cōmoueri, quia vbi cūq. ceciderit lignum, ibi erit. Quartō, simul atque euolauerit anima ex corpore, seuerissimè in totam eius vitā inquisitū iri, iudicioq. Christi sententiam ferendam, ut vel optimè sit ei, vel pessimè, in omnem æternitatem.

Eccles. II.

C A P V T VII.  
A D V E R S V S M O R T I S  
*metum remedia.*

**C**V M tria præcipue mortē faciant formidabilem; amissio rerū omnium huiusce vitæ, quas tantoperè diligimus; ignota regio vitæ alterius, in quam deducimur; & iudicis seueritas, coram quo apparebit;

mus;